Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift



meus celestis eradicabit. Sinite illos ce-
ci sunt duces cecorum. Et tamen cum tributum
peteret. prius rationem reddidit. per quam
tributum solvere non deberet. atque illico
subiunxit. ut autem non scandalizemus eos.
vade ad mare et mitte hamum. et cum
piscem qui prius ascenderit tolle. et aperto
ore invenies staterem. illum sume. et
da illum pro me et te. Quid est autem quod ne
scandalizentur a domino tributum solvit.
et iam quod non debet? Quid est quod ali-
ud scandalum permisit. aliud vero veni-
re prohibuit. nisi ut nos doceret. et illa scan-
dala que nos implicant in peccato contem-
nere. et ea que placare sine peccato
possumus modis omnibus mitigare? Vera
itaque excellencia potest pro tegente domino
pravorum hominum scandala cum magna
tranquillitate declinare. prius enim a vo-
bis secreto vocandi sunt. atque ipsis racio red-
denda. et perversa quedam capitula que tenere
existimant coram ipsis anathematizanda
Quod si et iam sic dicitur anathematizari suspi-
cantur. et iam iure iurando firmandum est
vos eadem capitula numquam tenere nusquam te-
nuisse. nec vobis indignum videatur tali eis
modo satisfacere. nec de imperiali genere sit
contra eos aliquid in vestra mente fastigium
Omnes etenim fratres sumus unius imperatoris potestate
conditi. et eius sanguine redempti. et idcirco
fratres nostros qualibet pauperes et abiectos an
nullo despicere debemus. Certe etenim petrus
potestatem regni celestis acceperat. ut quod in
terra ligaret vel solveret. esset in celo li-
gatum vel absolutum. super mare ambulabat.
egrotantes umbra curabat. peccantes
vero occidebat. mortuos oracione suscita-
bat. et quia ex amonicione spiritus ad
cornelium gentilem fuerat ingressus. contra
eum questio a fidelibus facta est. cur ad gen-

tiles intrasset et comedisset cum eis.
cur eos in baptizmate recepisset. et tamen
isdem apostolorum princeps tanta miraculorum
potestate suffultus. querele fidelium non ex potesta-
te sed ex racione respondit. causam per
ordinem exposuit. quomodo vas quoddam vel
lintheum in quo quadrupedia terre et
bestie reptilia atque volatilia inerant de
celo submitti viderit. vocemque audie-
rit. surge petre occide et manduca. qua-
liter tres viri venerant eum ad cornelium
vocantes. qualiter spiritus sanctus hunc cum
eis ire preceperat. qualiter isdem spiritus sanctus qui
venire in baptizatis in iudea post baptis-
mum consueverat. in gentibus ante baptismum
venit. Si enim cum a fidelibus culparetur
auctoritatem quam in sancta ecclesia acceperat
attendisset. respondere poterat. ut pasto-
rem suum oves que ei commisse fuerant. re-
prehendere non auderent Sed si in querelam
fidelium aliquid de sua potestate diceret.
profecto doctor mansuetudinis non fu-
isset. Humili ergo eos racione placavit.
atque in causa reprehensionis sue. et iam te-
stes adhibuit dicens. Venerunt autem
mecum et sex fratres isti. Si igitur et pastor
ecclesie et apostolorum princeps. signa et mira-
cula singulariter faciens. non dedignatus
est in causa reprehensionis sue racionem
humiliter reddere. quanto magis nos pecca-
tores cum de re aliqua reprehendimur. re-
prehensores nostros racione humili placare
debemus? Ad me enim sicut nostis cum apud
vestigia dominorum in regia urbe demora-
rer. multi ex eis venire consueverant. qui
de predictis capitulis accusabantur. sed
teste conscientia fateor. numquam in eis aliquid
pravitatis aliquid erroris. aliquid de
hiis que contra eos dicebantur inveni. unde
et eos opinione contempta familiariter